



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Disp. XIX. De potentia animæ Christi,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

DISPUTATIO XIX.

De potentia animæ Christi.

Ad questionem 13. D. Thomæ.

Postquam egit S. Doctor de gratia atque scientia animæ Christi, à quæst. 7. usque ad 12. tractat quæst. 13. de alia perfectione ipsius, scilicet de potentia seu virtute activa quam habuit, præsertim quoad supernaturales actiones, de qua etiam nos articulis sequentibus disseremus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Varij errores circa potentiam Christi referuntur ac refelluntur.

1. Circa potentiam Christi varia fuerunt Iudæorum, Ethnicorum, & Hæreticorum deliria. In primis enim quidam Iudæi & Ethnici, Christi miracula supernaturaliter edita, retulerunt ad magicam pronuntiationem nominis Dei, ut referunt Epiphanius hæresi 30. Ludovicus Vives lib. 5. de verit. fidei cap. 11. & Atinobius lib. 1. num. 27. ubi Ethnicos de Christo sic loquentes inducit: *Magus fuit, clandestinis artibus omnia illa perfecit: Ægyptiorum ex aditis, Angelorum potentium nomina, & remotas furatus est disciplinas.* Quasi verò Dæmones & artes magicæ possint mortuos semiputridos & fetentes, ut Lazarum, repente suscitare, & cæcos à nativitate illuminare, aliaque similia parare miracula. Addo quod, nulla major virtus hucusque Christi miraculis se opposuit, cum tamen Deus soleat, & ad ejus providentiam pertineat, falsa miracula cum fiunt, veris refutare ac vincere, ut patet in Magis Pharaonis superatis à Moysè, Exodi 7. & 8. Efficax etiam ad hanc calumniam confutandam argumentum desumi potest, ex eo quod magia per Christi doctrinam passa excidium, non possit fingi ab eo adhibita ad edenda opera extraordinaria & miraculosa quæ fecit.

2. Secundò nefarij quidam Apostatæ, ut testatur Michaël Medina, lib. 2. de recta fide in Deum cap. 7. Christi miracula tribuerunt corporis ejus temperamento, quod optimum fuisse dicebant, & ad pondus, sive ad justitiam, ratione cujus poterat virtute naturali super aquas incedere, & in quovis elemento se collocare, claudos erigere, leprosos mundare, cæcos illuminare, & omnibus rebus imperare: nam sicut homo (inquiiebant) imperat cæteris animalibus, eo quod illis præster temperamenti bonitate, sic quia Christus omnibus rebus præstitit temperamenti perfectione, potuit illis omnibus imperare & dominari, subindeque vera miracula edere.

3. Verùm hic error, merum delirium ac dementia est: quomodo enim potuit Christus vi temperamenti imperare Dæmonibus, qui puri spiritus sunt, & quibus ratione temperamenti non præcellebat? Quæ etiam ratione potuit corpus grave flettere super aquas leviores humano corpore, quantumvis optimè temperato? Quomodo tandem vi ejusdem temperamenti potuit agrotos

A etiam absentes (ut Reguli filium, & Centurio- nis servum) confestim sanare, & quod mirabilius est, solo imperio mortuos suscitare, absentia cognoscere, futura libera prædicere, & cordis secreta revelare?

Ab hac dementia parùm distat error stolidus Avicennæ, miracula Christi tribuentis virtuti & efficacæ imaginationis: imaginatio enim æquè impotens est ad illa præstanda, quàm temperamenti bonitas & perfectio, ut de se manifestum est.

Tertiò non minùs delirabant hæretici illi, quos Lucas Tudenis lib. 3. contra Albigenes cap. 2. affirmasse refert, Christi miracula quæ Evangelistæ referunt, fuisse duntaxat mystica: verbi grati dictum esse, Christum illuminasse cæcos, quia spiritualem cæcitatem depulit, & mortuos suscitasse, quia vitam spiritualem restituit. Hoc enim est manifesta dementia, cum Evangelium tam clarè prodat edita esse à Christo eximia opera, non mysticè tantum, sed etiam reipsa, ut sonant verba. Fateor tamen, externa Christi opera, & mirabiles agrotorum curationes, fuisse signa & figuras internarum curationum animæ, ut rectè observarunt Athanasius homil. 9. in illud, *Ite in castellum*, Origenes homil. 6. in Iſaiam, & Augustinus sermone 44. de verbis Domini, his verbis: *Dominus noster Jesus Christus, ea qua faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi: neque enim tantum miracula propter miracula faciebat, sed ut illa qua faciebat, mira essent videntibus, vera essent intelligentibus.* Ex quo idem S. Doctor Tract. 44. in Joan. infert opera miraculosa Christi Domini, non solum fuisse opera, sed etiam quodammodo verba, quia erant signa invisibilium sanationum, & symbola mirabilium intelligentibus. Verba ejus sunt: *Ea qua fecit Dominus noster Jesus Christus stupenda atque miranda, & opera, & verba sunt: opera, quia facta sunt: verba, quia signa sunt.*

Denique Hæretici quidam, qui ex Lutherano- rum grege, sæculo præcedenti orti sunt, & nomine desumpto à sua hæresi, *Vbiquistæ* appellati, affirmarunt animam Christi, & totam ejus humanitatem, taliter esse Verbo unitam, ut esset ubique, sicut ipsa divinitas, & similiter æterna, ac omnipotens; unde existimarunt, potentiam ex- quentem animæ Christi, non esse quid creatum, sed ipsam Dei omnipotentiam, formaliter communicatam Christo ut homini; ita ut Christus, non modò ut Deus, sed etiam ut homo, sit omnipotens.

Hic error in primis manifestè repugnat variis Scripturæ locis, quibus asseritur, Christum non fuisse ubique, sed de uno in alium locum transmigrasse. Joan. 11. *Gaudeo propter vos, ut cre- datis, quoniam non eram ibi.* Quæ verba expendens Andreas Cretensis, oratione in quadriduanum Lazarum, ita disserit: *Non erat ibi, quippe secundum id quod extrinsecus apparebat, non aderat. Corpus enim, quod trisariam dimetimur, naturā hoc habet, ut circumscrivatur, & de loco in locum motionem capiat; hujusmodi enim illius est natura.* Similiter Chrysologus serm. 63. qui est de suscitatione Lazari, de isdem Christi verbis agens, subdit: *Et erat locus, ubi non erat Christus? Et quomodo non erat ibi, unde mortuum Lazarum Discipulis nuntiabat? Fratres, erat ibi Christus Deus, sed ibi non erat homo Christus.* Item eodem cap. 11. Joannis versu 21. Martha ait ad Christum: *Domine si fuisses hic,*

frater meus non fuisset mortuus. De quibus verbis agens Chrysostomus, oratione in quadragesimam Lazarum, hæc scribit: *Infirmus es o mulier. Nescit modo mulier, Christum etiam corpore minime presentem, divinitatis adesse potentia. Sed presentia corporis vim Preceptoris metuitur.* Ergo ex Scriptura & Patribus, Christus dum in terris degeret, corporali presentia, non erat ubique, sicut Ubiquista asseriebant.

8. Quod verò Christi humanitas ex unione ad Verbum non fuerit facta omnipotens, ut illi etiam affirmabant, hoc discursu Theologico convincitur. Solus Deus omnipotens esse potest: Sed Christi humanitas Verbo hypostaticè unita, ita distincta à divinitate permanfit, ut Dea effecta non fuerit: Ergo ex vi talis unionis, nec est, nec dici potest omnipotens simpliciter. Minor est de fide, Major verò ostenditur primò ratione D. Thomæ, hic art. 1. Cum unumquodque agat, secundum quod est in actu, & in actu constituitur per formam, quæ vel sit natura rei, vel naturam constituat, & omnipotentia divina sit potentia quæ Deus res ad extra producit, est proprietas consequens naturam divinam: Sed proprietas naturam aliquam consequens, convenire nequit nisi illi cui convenit talis natura: Ergo omnipotentia simpliciter, solum ei potest convenire, cui convenit esse Deum, & consequenter solus Deus est omnipotens.

9. Secundo, Omnipotentia habet pro termino vel objecto id quod contradictionem non implicat, ut docet D. Thomas 1. part. quæst. 25. art. 3. cum autem terminus potentie activæ debeat contineri in subiecto eminenter, vel formaliter, solus ille omnipotens esse potest, in quo omne quod non implicat fieri, aliquo ex his modis continetur: Sed soli Deo potest huiusmodi continentia competere, cum ipse solus habeat esse illimitatum, & infinitum: Ergo soli Deo convenit omnipotentia simpliciter.

10. Tertiò, De ratione omnipotentis simpliciter est independentia ab alio agente priori, & carentia subordinationis in agendo: Sed solus Deus potest huiusmodi independentia & carentia subordinationis gaudere, cum omne quod Deus non est, à Deo in agendo ut à prima causa dependeat, sicut dependet in essendo: Ergo solus Deus potest esse omnipotens.

11. Denique, Ab omnipotente simpliciter dependet in fieri & conservari omne ens creatum existens: Sed à solo Deo potest omne ens creatum dependere in fieri & conservari, cum nullum sit ens creatum, quod saltem in primo fieri possit dependere à seipso: Ergo soli Deo convenit esse omnipotentem simpliciter.

12. Nec obstant verba illa Matthæi ultimo: *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.* quæ de Christo ut homine intelligunt plures ex Sanctis Patribus, quos refert S. Thomas in catena aurea. Nam idem S. Doctor super hunc locum Matthæi, & in 3. dist. 14. quæst. unica art. 4. ad 1. docet hæc verba dupliciter posse exponi: Primò de Christo secundum divinitatem, cui data est omnipotentia, sicut data est illi essentia divina, per generationem æternam. Secundo de Christo quatenus homine, non quia humanitati sumptæ in abstracto conveniat omnis potentia, sed humanitati in concreto, ratione suppositi terminantis humanitatem; quia scilicet per gratiam unionis in tempore factum est, ut Verbum quod in seipso ab æterno erat omnipotens, cum omnipotentia

A uniretur humanitati, & esse omnipotentem prædicaretur de Christo.

Alij hæc verba intelligunt de omni potestate spiritali ad salutem hominum ordinata, quæ Christo convenit secundum humanitatem, & dicitur data specialiter post resurrectionem, quia tunc specialiter innouit, nam in scriptura dicitur aliquid fieri, quando innouescit, juxta illud Psalm. 2. *Ego hodie genui te.* quod dictum est de Christo ab inferis resurgenti, quia per resurrectionem manifestata est æterna generatio Verbi terminantis humanitatem.

Eodem modo intelligi debent hæc verba Christi Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo:* nam per *omnia*, vel intelligenda est salus omnium fidelium, quæ Christo ut homini à Patre commissa est, ut interpretatur Theodoretus. Vel, ut alij exponunt, Christus his verbis solum significare volebat, quod ei, in quantum Deo, contulit omnia Pater æternus, quia genuit eum omnipotentem, sicut ipse Pater est omnipotens.

Denique hæc & similia loca intelligi & explicari possunt, de morali quadam communicatione divinæ omnipotentie, quæ Christo ut homini, ratione unionis hypostaticæ facta est: quamvis enim nullam potentiam physicam, operum omnium supernaturalium principiativam, Christi humanitati tribuamus, in ea tamen agnoscimus moralem quandam potentiam, omnium miraculorum patrativam, sitam in potestate adhibiti exercendi opera supernaturalia, per Dei omnipotentiam sibi ad id assistentem, semperque paratam exequi quod Christus optaret. Neque enim, ut aliis sanctis potestas miraculorum transeuntur quandoque conceditur, in Christo transeuntur tantum exstitit; sed (ut art. sequenti §. 3. ostendimus) Christo hæc potestas naturæ suæ transiens, ad modum habitus inerat, & permanenter, ideoque semper Deus paratus erat ad Christi nuntium exequi omnia miracula quæ consentaneè ad finem Incarnationis facere cupiebat. Unde Joan. 11. Christus mox Lazarum suscitaturus, ita Patrem alloquitur: *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Et Matth. 9. *Et autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: surge, tolle lectulum tuum, &c.* Hinc etiam Basilii Seleucia orat. 33. in illa insigni expressione miraculi multiplicatorum à Christo panum, ita rem manibus Christi tribuit, de quibus ait *effloruisse panes inaratos, & absque rusticano sudore partos, excluso agro, arca, molâ, clybano, ut tamen statim subdat causam multiplicationis fuisse, quia aderat creator, & præsto erat ad nutum humane Christi voluntatis Deus regens, & verbo virinis sue portans omnia.*

ARTICULVS II.

An humanitas Christi, seu Christus ut homo, instrumentaliter physicè, vel solum moraliter, ad productionem gratiæ, & miraculorum, aliorumque effectuum supernaturalium concurrat?

Solùm hic est quæstio de causalitate instrumentalī, ostendimus enim in Tractatu de gratia, contra Medinam & Cabreram, Christum, *Dispositivum* *Art. 16*

III ij

inquantum hominem, non esse causam principalem gratiae sanctificantis, sed illius productionem soli Deo ut causae principali tribui posse. Certum est etiam & indubitatum apud Theologos, Christum ut hominem, esse causam saltem moralem gratiae sanctificantis & miraculorum, aliorumque operum supernaturalium quae ad finem Incarnationis conducunt, cum omnes illos effectus de condigno meruerit. Unde solum difficultas est de concursu physico instrumentali, an illum habuerit Christi humanitas circa miracula & gratiam sanctificantem? Nam circa hoc variae sunt Auctorum sententiae.

Prima negat Christum ut hominem esse causam physicam ullius gratiae dependenter ab ejus meritis, etiam post ipsius conceptionem collatae, idemque docet de operibus miraculosis, & aliis effectibus supernaturalibus, consequenter ad executionem Incarnationis à Deo factis. Ita ex antiquis Theologis Altfiodorensis, Albertus magnus, D. Bonaventura, & ex recentioribus Vazquez, ex Thomistis verò Melchior Cano.

Secunda praecedenti extreme opposita asserit humanitatem Christi non tantum moraliter, sed etiam physicè, causare gratiam, operationes miraculosas, aliosque effectus supernaturales, non solum productos post ejus Incarnationem, sed etiam ante illam, tempore antiquorum Patrum. Hanc sententiam non improbabilem reputat Medina, pro eaque refert Capreolum.

Tertia distinctione utens circa humanitatem Christi, etiam consequenter ad executionem ipsius assumptionis consideratam, dicit quod quando fuit in terris, concurrat physicè instrumentaliter ad productionem gratiarum in illis quos Christus immediatè justificavit, quales fuerunt Magdalena, Matthaeus, & alij; idemque docet de miraculis quae per seipsum operatus est adhuc vivens vità mortali; negat tamen ipsum modò in caelis existentem concurrere physicè, etiam instrumentaliter, ad effectus supernaturales qui sunt in Ecclesia militante. Ita Andreas Vega lib. 7. in Trident. cap. 14.

§. I.

Vera sententia sequentibus conclusionibus statuitur.

16. **D**ico primò: Humanitas Christi, sive Christus ut homo, fuit causa solum moralis gratiae ante executionem Incarnationis antiquis Patribus collatae.

Hanc conclusionem omnino certam existimo, eamque hac ratione evidenti & planè demonstrativè ostendo. Res adhuc futura, quando futura est, nequit esse causa physica alicujus effectus: Sed ante Incarnationem humanitas Christi erat adhuc futura: Ergo non fuit causa physica, sed duntaxat moralis, gratiae tunc collatae antiquis Patribus. Minor constat, Major probatur. Res adhuc futura nequit physicè operari, cum operari physicè, praesupponat esse sive existere physicum suae causae: Ergo nec esse causa physica, ut magis declarabitur §. sequenti, in responsione ad quintam objectionem.

17. **D**ico secundò: Humanitas Christi, sive Christus ut homo, fuit causa instrumentalis physica gratiae, miraculorum, aliorumque effectuum supernaturalium, quae immediatè per seipsum operatus est; quando erat in hac vita mortali.

Probatur primò ex Scriptura, dicitur enim Joan.

20. quod Christus insufflavisset Apostolis, & dixisset: *accipite Spiritum Sanctum*: Sed conferre Spiritum Sanctum, atque adeò gratiam, insufflando, est eam physicè causare, ut constat: Ergo Christus ut homo fuit causa physica instrumentalis gratiae quam contulit quando erat in hac vita mortali.

Idem dicendum de miraculis, Scriptura enim testatur, Christum plura miracula operatum esse per contactum suae mundissimae carnis, ut cum sanavit caecum à nativitate, liniendo ipsius oculos, & surdum, digitos mittendo in aures ejus. Item Lazarum resuscitavit, dicendo & clamando, *Lazare veni foras*, ut innueret Verbum Divinum tribuere suae voci virtutem instrumentalem ad illum resuscitandum, juxta illud Psalmi 67. *Dabit voci suae vocem virtutis*. Denique Lucæ 6. de Christo dicitur, quod *virtus de illo exibat*, & *sanabat omnes*. Et implet Christus Lucæ 8. postquam mulierem sanguinis fluxu laborantem curasset, dixit: *Novi virtutem de me exiisse*. Quod non potest explicari de virtute morali, quae cum merum ens rationis sit, non potest dici, nisi valde improprie & metaphoricè, exire de corpore.

Probatur secundò conclusio ex Concilio Ephes. 1. can. 11. ubi definitur carnem Christi esse vivificatricem, propter unionem ad Verbum, quod vitam habet divinam: Sed caro Christi nequit esse vivificatrix secundum rationem moralis causalitatem, sive secundum rationem meriti, utpote cum tota ratio meriti ad animam pertineat: Ergo solum potest dici vivificatrix, ratione virtutis instrumentalis physicae, ex unione ad Verbum ipsi collatae. Unde notat Cyrillus lib. 4. in Joan. cap. 14. quod Christus in exsuscitandis mortuis, non solum verbo atque imperio ut Deus utebatur, verum etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnumquam adhibebat; ut constat Lucæ 7. cum filium unicum viduae Naïm resuscitavit; narrat enim Evangelista, quod Christus ut illum ad vitam revocaret, *accessit & tetigit loculum*, ut nimirum ostenderet (inquit Cyrillus) *carnem quoque suam, quoniam Verbo conjuncta erat, vivificam esse*. Euthimius etiam in cap. 7. Lucæ, miraculosam illius adolescentis resurrectionem, & virtutem illam vivificam carnis Christi perpendens, ait: *Quemadmodum ferrum quod in igne aliquo tempore permansit, habet ignis operationes: ita quoque sancta ipsius Christi caro, divinitati unita, quae divinitatis sunt operatur*. Quod exemplum veram & physicam causalitatem humanitatis Christi in opera miraculosa ab eo elicita, aperte significat. Ex quibus pater, quàm falsò Vazquez asseruerit, nunquam SS. Patribus in mentem venisse, Christi humanitatem physicè concurrere ad productionem gratiae & miraculorum.

Hanc etiam conclusionem suadent omnes rationes praesequenti adducendae: si enim humanitas Christi nunc existens in caelis, & sedens ad dexteram Patris, est instrumentum non solum morale, sed etiam physicum, ad causandam gratiam, & patranda miracula, à fortiori id ei competeat, dum existeret in terris, in ordine ad effectus miraculosos, quos tunc operabatur, & gratiam quam tunc conferebat. Unde

Dico terriò: Humanitas Christi, non solum dum ipse existeret in terris, sed etiam modò dum existit in caelis, est organum & instrumentum physicum divinitatis, ad causandam gratiam, & patranda miracula.

Probatur primò ex D. Thoma, qui variis in locis

cis agnoscit in humanitate Christi duplicem causalitatem ad productionem gratiæ & miraculorum, unam per modum meriti & imperationis, alteram per modum efficientiæ. Ita expressè docet in hac parte quæst. 8. art. 1. ad 1. ubi ait quod *actiones Christi fuerunt nobis saluifera, nupote gratiam in nobis causantes, & per meritum, & per efficientiam*. Et quæst. 48. art. 6. in corp. & in resp. ad 3. asserit quod *passio Christi secundum quod comparatur ad divinitatem ejus, agit per modum efficientiæ, in quantum verò comparatur ad voluntatem animæ Christi, agit per modum meriti*. Item quæst. 64. art. 3. ait quod *Christus quatenus homo operatur ad interiores effectus sacramentorum & meritorie & efficienter, sed instrumentaliter*. Denique in hac quæst. 13. art. 2. in corp. docet quod humanitas Christi, in quantum est instrumentum Verbi sibi uniti, habet instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, non tamen respectu creationis. Ex quo sic licet arguere: In eo sensu affirmat D. Thomas humanitatem Christi esse instrumentum ad omnes immutationes miraculosas, quod negat esse instrumentum ad creandum: Sed non negat eam esse instrumentum morale, sed physicum, ad creandum, cum manifestum sit Christum ut hominem posse per orationem impetrare à Deo creationem unius animæ, vel Angeli: Ergo affirmat illam esse non solum instrumentum morale, sed etiam physicum, ad omnes immutationes miraculosas.

21. Probatur secundo conclusio ratione: Humanitas Christi non solum dum ipse existeret in terris, sed etiam modo dum existit in cælis, est instrumentum & organum divinitatis in ordine ad causandam gratiam, ad patranda miracula, & effectus supernaturales producendos: Sed non instrumentum morale: Ergo physicum. Major est expressa Concilij Ephesini can. 9. & 11. Lateranensis sub Martino I. consult. 3. & 5. nec non passim SS. Patrum. Minor verò probatur: Si humanitas Christi esset instrumentum morale gratiæ, & miraculorū, deberet posse assignari aliquid supra ipsam quod esset causa moralis principalis horum effectuum: At nihil hujusmodi est assignabile, Deus enim qui solus superior existit humanitati Christi, non potest esse causa moralis sive meritoria, etiam principalis: Ergo humanitas Christi non potest dici instrumentum morale ad causandam gratiam, & patranda miracula, alioquin effectus supernaturales producendos.

22. Probatur tertio: Si humanitas Christi nunc existens in cælis, non physicè, sed moraliter tantum, gratiam, miracula, alioquin effectus supernaturales causaret, non deberet dici instrumentum Deitatis, sed solum Filij, in ordine ad illos effectus: Atqui vocatur à multis ex Patribus instrumentum sive organum Divinitatis, nimirum à D. Ambrosio serm. 90. & 91. Damasceno lib. 3. de fide cap. 5. & aliis; imò Scriptura eam appellat brachium & manum Dei: Ergo &c. Sequela Majoris probatur: Solus Filius, non verò Pater, subindeque nec divinitas, concurrat moraliter ad gratiam & miracula, orando videlicet, & merendo; non enim potest dici quod Pater aut Spiritus Sanctus aliquid nobis meruerint: Ergo si humanitas Christi, non physicè, sed moraliter tantum ad illos effectus concurrat, non erit instrumentum divinitatis, sed solum Filij, in ordine ad illos.

23. Quarto suaderi potest conclusio ratione probabilis: Conveniens & congruum est concedere humanitati Christi omnem dignitatem & præroga-

A tivam, quæ muneris Redemptoris, & capitis Ecclesiæ non obest, & aliunde contradictionem non implicat: Sed virtus instrumentalis physica ad causandam gratiam, & patranda miracula, non obest, sed potius congruit muneris Redemptoris, & capitis Ecclesiæ, & nullam involvit repugnantiam: Ergo humanitati Christi denegari non debet. Major patet, hac enim ratione utuntur communiter Theologi ad probandum Christum à primo conceptionis instanti debuisse habere plenitudinem gratiæ, virtutes omnes, & dona, scientiam beatam, & infusam, aliaque carismata gratiarum. Minor verò quoad secundam partem ex solutione argumentorum constabit, & potest etiam suaderi ex eo quod non major videatur esse repugnantia quod humanitati Christi communicetur vis instrumentalis & supernaturalis ad causandam gratiam, & patranda miracula, quam quod ignis inferni & purgatorij virtutem instrumentalem ad torquendos & alligandos Demones, & affligendas ac purgandas animas à Deo recipiat. Quantum verò ad primam partem manifesta videtur, major enim est dignitas in Redemptore redimere, causando simul physicè & moraliter gratiam, quam solum moraliter; & ratio capitis Ecclesiæ perfectiori modo convenit Christo, si non solum moralem, sed etiam physicum influxum in membra habeat.

C Hanc conclusionem probant etiam omnia argumenta, quibus Thomistæ in Tractatu de sacramentis ostendunt sacramenta novæ legis instrumentaliter physicè causare gratiam; cum enim sacramenta sint instrumenta separata, & humanitas Christi instrumentum conjunctum divinitati & personæ Verbi; & quod instrumentis separatis competit congruentius conveniat instrumento conjuncto, si sacramentis novæ legis competat influxus physicus causativus gratiæ, à fortiori conveniet humanitati Christi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

O B jicies primò contra primam conclusionem: Humanitas Christi potuit antequam existeret, esse causa physica instrumentalis productionis gratiæ, miraculorum, & aliorum effectuum supernaturalium: Ergo de facto fuit instrumentum physicum Dei, ad producendos illos effectus. Consequentia patet, si enim hoc sit possibile, ad dignitatem humanitatis Christi videtur pertinere, subindeque non ei denegandum est, ut supra arguebamus. Antecedens verò probatur: Res præterita, v.g. passio Christi, potest esse, imò de facto est causa instrumentalis physica productionis gratiæ quæ nunc confertur, & omnis operationis miraculose quæ modo fit: Ergo similiter res futura, subindeque humanitas Christi antequam existeret, potuit esse causa physica instrumentalis effectus supernaturalis, res enim præterita non magis existentiam habet, quam futura.

Respondeo negando Antecedens, & ad ejus probationem, concessio Antecedente, nego consequentiam, & paritatem: Ratio verò discriminis est, quia res præterita, quamvis non amplius in seipsa existat, potest tamen remanere existens in sua virtute, sive in aliquo suo effectui; sicut de facto remanet existens passio Christi in cicatricibus gloriosis vulnorum humanitatis Christi: res autem futura, non potest dici remanere in aliquo

suo effectu, utpote cum nullus sit talis effectus, quia omnis effectus presupponit existentiam suae causae, vel praesentem, vel praeteritam.

26. Objicies secundo contra secundam conclusionem: D. Thomas in 3. dist. 16. quaest. 1. art. 3. dicit expresse nullam fuisse virtutem in Christi anima ad immutandam legem aut cursum naturae, five ad patranda miracula, nisi per modum orationis, aut intercessionis: At haec causalitas non est physica, sed moralis, ut constat: Ergo censet D. Thomas, Christum ut hominem non fuisse causam physicam, sed solum moralem, illorum miraculorum quae edidit dum in terris existerat.

27. Respondet Cajetanus hic art. 2. quod Author doctior seipso correxit illud quod in sententiis docuerat, cum in isto articulo clarissime concedat humanitati Christi ut unitae Verbo Divino, & ex unione ad illud, vim instrumentalem ad omnes immutationes miraculosas, praeterquam ad annihilationem, & idem est de creatione.

28. Verum necesse non est ad hanc solutionem recurrere, cum sine violentia litterae ille locus dupliciter exponi possit. In primis enim dici potest D. Thomam non loqui ibi de virtute ad faciendum miracula tam principali quam instrumentali, sed solum de principali. Unde sensus verborum ejus solum est, quod nulla virtus fuerit in Christi anima ad principaliter patranda miracula, nisi moralis, per orationem, aut intercessionem; cum quo tamen stat quod habuerit insuper virtutem physicam, non quidem principalem, sed instrumentalem ad illos effectus.

29. Vel aliter potest exponi ille locus, juxta doctrinam quam idem S. Doctor tradit hic art. 3. in corp. ubi ait quod *anima Christi potest dupliciter considerari, uno modo secundum propriam naturam & virtutem, & hoc modo sicut non poterat immutare exteriora corpora à cursu & ordine naturae, ita & non poterat immutare proprium corpus à naturali dispositione, quia anima habet secundum suam naturam determinatam proportionem ad proprium corpus. Alio modo potest considerari anima Christi, secundum quod est instrumentum unicum Verbo Dei in persona. & sic subdebatur ejus voluntati totaliter dispositio proprii corporis.* Ex qua doctrina facile intelligitur testimonium adductum ex tertio libro sententiarum, exponendum enim est de humanitate Christi secundum propriam naturam accepta, sic enim solum habet posse ad patranda miracula per modum orationis & intercessionis concurrere, in quo convenit cum sanctis, qualiter ordinariè operantur: si tamen consideretur humanitas Christi, ut conjuncta Deo, sic potest operari, & de facto operatur instrumentaliter physice plura opera miraculosa.

30. Objicies tertio: Ex miraculis quae Christus fecit dum existerat in terris, quaedam patrata sunt per creationem, & alia per suspensionem concursus divini, quando enim in ejus baptismo miraculose apparuit columba, si vera columba fuit, per creationem producta est: obscuritas verò illa miraculosa Solis, quae in ejus passione accidit, per subtractionem divini concursus facta fuit, Deus enim tunc denegavit Soli suum concursum ad illuminandum; & idem videtur dicendum de illo miraculo quod Christus fecit, cum super aquas ambulavit; illud enim non aliunde contigisse videtur, nisi ex subtractione divini concursus, quem tunc aquis denegavit, ne gravitarent, & descenderent. Sed neque ad creationem, neque ad suspen-

31. sionem divini concursus, potest humanitas Christi tanquam instrumentum physicum assumi, ut docent communiter Thomistae: Ergo saltem respectu illorum miraculorum, non potuit humanitas Christi esse instrumentum physicum, sed tantum morale.

32. Respondeo negando Majorem, ad cujus primam probationem, seu primum exemplum quod adducitur in contrarium, dicens quod columbam illam quae apparuit in Jordane dum Christus baptizaretur, factam fuisse ex praeracente materia aëris, vel alterius elementi, atque adeo per creationem non fuisse productam. Ita colligitur ex S. Thoma infra quaest. 39. art. 7. in fine corporis, ubi exponens modum quo potuit Deus columbam illam formare, ait ex Augustino: *Non erat difficile verum corpus columbae sine aliarum columbarum ministerio figurare, sicut non fuit ei difficile verum corpus in utero Mariae, sine virili semine fabricare, cum creatura corporea, & in visceribus femine ad formandum hominem. & in ipso mundo ad formandum columbam, imperio Domini voluntatiq; serviret.* Ex quibus patet, existimare S. Doctorem cum Augustino quem sequitur, sic fuisse formatam illam columbam, sicut formatum fuit corpus Christi in visceribus B. Virginis, atque adeo illam non fuisse creatam, sed ex praexistente aëris vel alterius elementi materia productam.

33. Ad secundum exemplum dicendum obtenebrationem solis in morte Christi, non fuisse per subtractionem concursus divini, sed per interpositionem lunae inter Solem & terram, ut ex Dionysio in Epist. ad Policarpum docet S. Thomas infra quaest. 44. art. 2. ad 2. ubi quatuor vel quinque miracula in tali eclipsi contigisse observat, praefertque ibidem sententiam Dionysij opinioni Origenis, existimantis illam obscuritatem provenisse ex positione alicujus densissimae nubis inter Solem & terram: *Quod etiam* (inquit) *alii Astrologi ubique terrarum tunc existentes crediderunt, quia non fuerunt solliciti de observanda eclipsi, quia tunc tempus non erat, unde illam obscuritatem ex aliqua passione aëris accidere putaverunt: Sed in Aegypto ubi raro nubes apparent, propter aëris serenitatem, permotus est Dionysius, & Socij ejus, ut praedicta circa illam obscuritatem observarent.*

34. Ad tertium exemplum similiter dico, miraculum illud quod Christus fecit cum super aquas ambulavit, non contigisse ex subtractione divini concursus quem tunc Deus aquis denegaverit, ne gravitarent, sed ex eo quod corpori Christi fuit tunc communicata dos agilitatis per modum transeuntis, qualiter etiam redundavit ex gloria animae ad corpus in transfiguratione claritas per modum passionis transeuntis, ut docet S. Thomas infra quaest. 45. art. 2. his verbis: *Ad corpus Christi in transfiguratione derivata est claritas à divinitate & anima ejus, non per modum qualitatis immanens, afficientis ipsum corpus, sed magis per modum passionis transeuntis, sicut cum aër illuminatur à Sole. Unde ille fulgor tunc in corpore Christi apparens, miraculosus fuit, sicut & hoc ipsum quod ambulavit super undas maris.*

35. Objicies quarto contra tertiam conclusionem: De ratione instrumenti physici est, ut contingat subiectum in quo debet recipi ejus effectus, est enim indistantia localis, seu contactus physicus, in omni agente physico, conditio necessaria ad agendum:

agendum: Sed humanitas Christi modo in cælis existens, non contingit subiecta in quibus produci- tur gratia, vel circa quæ in terris operationes miraculosæ fiunt, ut constat: Ergo non concurrunt instrumentaliter physicè ad illos effectus. Eadem est difficultas de miraculis quæ Christus edidit, dum esset in terris; non enim physicè contingebat Christus omnes homines quos miraculosè sanavit, vel mortuos quos ad vitam revocavit: nam Matth. 8. solâ voce sanavit servum Centurionis absentem, Joan. 4. sanitati restituit filium Reguli distantem, & cap. 11. voce revocavit animam Lazari existentem in Lybmo, quò vox illa per- tingere non potuit.

35. Respondeo primò, distinguendo Majorem: De ratione instrumenti physici est ut contingat subiectum in quo debet recipi ejus effectus: si sit instrumentum naturale, vel artificiale, concedo: si sit instrumentum supernaturale, & divinæ virtutis, nego. Hoc enim inter instrumenta primi & secundi generis intercedit discrimen, quòd illa debent necessariò contingere subiectum in quo effectus ipsorum recipitur, non verò ista: serra enim v. g. aut dolabra debet contingere lignum in quod ab artifice debet introduci forma artis, & in illud deferre virtutem aut motionem illius, facramenta verò & alia divinæ virtutis instrumenta, non debent necessariò physicè contingere subiectum in quo illorum effectus produciuntur. Unde D. Thomas 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. docet Deum posse elevare interiorem hominis operationem ad physicè patranda miracula in re externa & distan- ti. Et 1. p. quæst. 64. art. 4. ad 2. asserit Dæmo- nes in aëre isto detentos, torqueri ab igne inferni, asseritque Glossam Jacobi 3. dicentem: *Dæmones portant semper ignem gehennæ, quocumque vadant.* Ratio verò hujus discriminis petitur ex eo quod in instrumentis naturalibus aut artificialibus, vir- tus causæ principalis non ita est diffusa, ut per se ipsam possit immediatè contingere passum, vel subiectum operis naturalis, aut artificiosi, quan- do illud est distans: virtus autem Dei, ob ejus immensitatem, est omnibus rebus intimè præ- sens & indistans; unde non est necesse quod me- diante instrumento illam deferente, reddatur præsens subiecto in quo gratia vel alius effectus su- pernaturalis produciuntur. Aliquale hujus rei exem- plū habemus in naturalibus: æstimativa enim, licet sit tantum in capite, operatur tamen in pede, ipsum tanquam instrumentum animæ sensitivæ movendo, ex eo quod anima cui conjungitur, & quæ est causa principalis talis motus, formaliter in pede existat. Cum ergo Deus, qui est causa princi- palis productiva gratiæ & miraculorum, omnibus rebus præsens sit, potest humanitas Christi, ut in- strumentum conjunctum ipsius, instrumentaliter physicè concurrere ad producendos illos effectus in quibuscumque subiectis, etiam distantibus, nec requiritur quod ea physicè contingat.

36. Hæc solutio haud dubiè probabilis est, & ve- ram ac Thomisticam doctrinam continet, ut ta- men adhuc magis elucidetur, & difficultas propo- sita penitus evacuetur. Melius & clariùs respon- deri potest, distinguendo duplicem propinquitatem vel contactum, nempe contactum suppositi, vel rei quæ est instrumentum, & contactum virtutis, & causalitatis, quæ actum cum causa principali efficit; & dicendo quod quamvis ad rationem in- strumentum physici (præsertim si sit instrumentum divinæ virtutis) non sit necesse ut illud per se ipsum, seu per suam entitatem, attingat subje-

Tom. IV.

A etum vel effectum qui in eo produciuntur, quia pro- pinquitas agentis instrumentalis ad passum, est conditio divinæ virtutis supplebilis; loquendo ta- men de contactu virtutis & causalitatis, implicat contradictionem instrumentum propriè & in ri- gore physicè causare, & quod simul cum causali- tate & virtute per eum derivata à causa principali, non tangat spiritualiter & virtualiter passum. Un- de S. Thomas infra quæst. 48. art. 6. ad 2. *Passio Christi, licet sit corporalis, habet tamen spiri- tualem virtutem ex divinitate unita, & ideo per spi- ritualem contactum efficaciam sortitur.* Et quæst. 56. art. 1. ad 3. *Resurrectio Christi est causa effi- ciens nostræ resurrectionis, virtute divinâ, cujus proprium est mortuos vivificare: quæ quidem vir- tus præsentialiter attingit omnia loca, & tempora; & talis contactus virtualis sufficit ad rationem hu- jus efficiencie, nempe instrumenti physici à Deo elevati.* Quibus verbis apertè docet de ratione in- strumentum physici esse quòd contingat passum, seu subiectum in quo produciuntur effectus ejus, saltem contactu virtutis.

Ratio etiam id suadet: Non enim est intelligibi- le, quod instrumentum aliquod physicè efficienciâ producat effectum, quem neque propriâ virtute, neque virtute ab agente principali derivata con- tingit; quia instrumentum, etiam à Deo elevatum, verè ac propriè agit & efficit, alioquin Deus se so- lo & sine instrumento totum efficeret: Sed efficere nequit, si virtualiter non tangat, quia agere est virtute activâ actu dare esse, & ipsa productio & actualis efficiencia, est virtualis & realis contactus: Ergo implicat instrumentum aliquod physicè age- re, nisi saltem contactu virtutis, passum, seu subje- ctum in quo debet recipi ejus effectus, contingat. Unde ad objectionem in forma respondeo, distin- guendo Majorem. De ratione instrumenti est ut contingat subiectum in quo debet recipi ejus effe- ctus, contactu suppositi, seu rei, nego Majorem; contactu virtutis & causalitatis, concedo Majorè. Similiter distinguo Minorem: Humanitas Christi modo in cælis existens non contingit subiecta in quibus produciuntur gratia &c. contactu suppositi, seu rei, concedo Minorem: contactu virtutis & causalitatis, nego Minorem, & Consequentiam.

Obijcies quintò: Humanitas Christi eodem modo concurrat ad productionem gratiæ & mira- culorum, quo ejus mors & resurrectio: Sed nec mors nec resurrectio Christi sunt causæ instru- mentales physicæ gratiæ & miraculorum: Ergo nec ejus humanitas. Major est D. Thomæ infra quæst. 48. art. 6. ubi docet omnia quæ operata est humanitas Christi circa nostram salutem, præ- cipuè ratione passionis operatam esse, & quæst. 56. art. 1. asserit nostram resurrectionem esse effe- ctum in genere causæ efficiencie resurrectionis Christi. Minor verò suadetur: Quod non est, ne- quit esse causa physica alicujus rei: Sed passio Chri- sti, ejusque resurrectio, modo non sunt: Ergo ne- queunt esse causa physica miraculorum, & gratiæ, aliorumque effectuum supernaturalium qui nunc fiunt.

Huic difficili argumento respondent aliqui, concessâ Majori, negando Minorem, ad cujus probationem, negant Majorem; existimant enim id quod non est, posse, de potentia Dei absoluta, physicè causare: tum quia (inquiunt) existentia in causa efficiente, requiritur solum ut conditio necessaria ad causandum, subindeque potest à Deo suppleri, sicut approximatio seu contactus agentis ad passum, est conditio quam Deus po- test supplere, ut in solutione præcedentis objectio-

K K K

nis dicebamus. Tum etiam, quia si aliquâ ratione res non existens non posset causare, maximè quia id quod in se non existit, nec ratione sui potest agere, cum in se non sit, nec ab alio ut instrumentum ad operandum assumi: Sed hæc ratio non convincit: Ergo &c Minor probatur: Licet id quod in se non est, non possit assumi ut instrumentum ab alio in cuius mensura non sit, non tamen impossibile videtur quod assumatur ab alio in cuius mensura est: Sed res futura, licet in propria mensura non sit, est tamen in mensura Dei, futurum enim est præsens æternitati, quæ est mensura Dei: Ergo à Deo potest assumi ut instrumentum physicum.

40. Confirmatur: Quod ratione sui non extenditur ad causalitatem alicujus termini, ut Dei instrumentum potest extendi, quia Dei causalitas ad talem terminum extenditur: Ergo pariter quod in se non existit, si tamen existat in mensura superiori Dei, quæ extenditur ad futurum, ut instrumentum Dei poterit extendi ad aliquid physicè causandum.

41. Hæc tamen solutio sustineri nequit, potestque breviter confutari: Agere enim est actualitas causæ efficientis: non prima: Ergo secunda, subindeque supponit esse, quod est prima actualitas.

Confirmatur: Quia calefactio est actio productiva caloris, & terminatur ad illum, debet in agente supponere calorem, vel formaliter, vel eminenter: Sed causalitas seu efficientia physica, est productiva existentia, & terminatur ad illam: Ergo debet supponere esse in agente, & consequenter ad agendum, semper requiritur & supponitur existentia.

Nec valet si dicas, quod agere necessario requirit existentiam, non in mensura propria, sed in mensura Dei, quæ est æternitas. Nam contra est quod operatio quæ est productio rei in hac mensura nostra creata, existit etiam in tali mensura: Ergo etiam prima actualitas rei agentis, nimirum existentia, debet esse mensurata eadem mensurâ. Unde

42. Ad primum fundamentum hujus solutionis respondetur, multoties requiri ad causalitatem alicujus causæ aliquas condiciones essentialiter, & non solum ex natura rei, ut patet in apprehensione finis, quæ quidem ad finalizandum, in probabiliiori sententia, solum est conditio, & tamen nec de potentia Dei absoluta potest moveri voluntas à fine, sine prævia apprehensione illius: pariter ergo ad agendum physicè, essentialiter requiritur existentia, subindeque à Deo suppleri non potest. De contactu autem, jam dictum est, quod si loquamur de contactu suppositi, seu de approximatione agentis ad passum, non requiritur essentialiter ad agendum, contactus tamen virtutis, essentialiter est necessarius, cum claudatur essentialiter in actione per quam agens operatur, ut in solutione præcedentis objectionis declaravimus.

43. Ad secundum, concessa Majori, nego Minorem, ad probationem, nego Majorem; quia implicat ex terminis, ut dictum est, quod agens operetur operatione mensurata mensurâ creatâ, nisi ipsum etiam tali mensurâ mensuretur: cum autem et si assumatur à Deo ut instrumentum, debeat operari operatione mensurata mensurâ creatâ, consequens est id quod in se nullo modo existit, non posse à Deo ut instrumentum assumi.

44. Ad confirmationem, concessa Antecedente, nego Consequentiam, quia, ut mox dicebamus, hoc ex terminis implicat, nulla verò est implicancia,

A quod aliqua res creata recipiat in se virtutem aliquam, per quam ad aliquam operationem eleve-
tur, ad quam ex natura sua & virtute propria nequit pertinere. Hæc igitur solutio prætermittitur.

45. Dicendum est, quod quando D. Thomas docet passionem & resurrectionem Christi esse instrumenta nostræ salutis & resurrectionis, hoc non debet intelligi de passione & resurrectione, prout sunt quidam motus in fieri qui transierunt, sed secundum quod aliquo modo remanent in humanitate, ratione cicatricum, & dotium gloriæ, quæ in ea perseverant. Vel ut alij dicunt, idcirco passio & resurrectio Christi dicuntur causæ nostræ salutis & resurrectionis, quia humanitas Christi, ut per passionem & resurrectionem immutata, modificata, ac determinata, ad hos effectus præstādos à Deo ut instrumentum assumitur.

46. Obijcies sextò: In humanitate Christi nulla est virtus sufficiens ad physicè causandam gratiam & alios effectus supernaturales: Ergo non causat illos physicè. Consequentia patet, probatur Antecedens. Nam vel talis virtus esset corporea, vel spiritalis: Non corporea, aliàs non posset subiectari in anima Christi, nec concurrere ad effectum spiritualem, qualis est productio gratiæ: neque etiam spiritalis, quia non posset recipi in corpore Christi, quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur, atque adeo corporeum esse debet, si eius subiectum sit corpus: Ergo &c.

47. Respondeo negando Antecedens, ad cuius probationem dico, virtutem constituentem humanitatem Christi in ratione instrumenti physici, esse spiritualem, licet recipiatur in subiecto corporeo: Ratio est, quia licet virtus spiritalis ex natura sua permanens & completa, qualis est ea quam habet causa principalis, nequeat recipi in subiecto corporeo, bene tamen illa quæ ex natura sua est transiens & incompleta, qualis est virtus humanitatis Christi ad patranda miracula, & causandam gratiam, utpote quæ consistit vel in motione, vel in qualitate viali, sive transeunte. Solutio desumitur ex D. Thoma infra quæst. 62. art. 4. ad 1. ubi proposita sibi eadem obiectio, sic respondet: *Ad primum dicendum quod virtus spiritalis non potest esse in re corporea, per modum virtutis permanentis & complete, nihil tamen prohibet esse in corpore virtutem spirituales instrumentales, inquantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spiritali ad aliquem effectum spirituales inducendum.* Juxta quam doctrinam debet similiter distingui illud axioma, *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.* & concedi, si illud quod recipitur sit permanens, negari verò si sit solum virtus transiens. De quo fufius in Tractatu de sacramentis.

§. III.

Corollarium notatu dignum.

48. EX dictis inferes, gratiam miraculorum in Christo, non fuisse virtutem aliquam, seu qualitatem permanentem habitualiter in illo, sed qualitatem naturâ suâ fluentem & transeuntem, quam vis propter dignitatem subiecti, in eo fuerit per modum habitus.

Prima pars hujus corollarii patet ex dictis, Nam gratia miraculorum, seu vis patranda miracula, humanitati Christi collata, non est virtus principalis, sed instrumentaria, ipsam elevans ac rediens potentem ad patranda miracula: Atqui vis instrumentaria non est qualitas ex natura sua

permanens, sed fluens & transiens, ut docent A Philosophi 2. physic. Ergo & vis patrandi miracula humanitati Christi collata.

49. Dices, Christi humanitati in ordine ad miracula est tribuenda perfectissima virtus instrumentaria possibilis, hoc enim exigere videtur infinita dignitas ipsius Christi: Sed possibilis est virtus instrumentaria de se permanens ad miracula efficienda: Ergo illa humanitati Christi concedi debet. Major videtur certa, Minor probatur. Character est potestas & virtus permanens in anima, ut dicemus in Tractatu de Sacramentis: Sed ille est vis instrumentalis ad efficienda sacramenta, & convertendum panem in corpus Christi: Ergo possibilis est virtus instrumentaria de se permanens ad miracula facienda.

Dist. 4.
Art. 2.

50. Respondeo primò distinguendo Majorem: Tribuenda est Christo perfectissima virtus instrumentaria possibilis, secundum potentiam Dei absolutam, nego: secundum potentiam ordinariam, concedo; ut enim sæpe diximus, non est necesse ponere in Christo omnem majorem perfectionem ei possibilem secundum potentiam Dei absolutam, aliàs oporteret ponere gratiam habitualement in illo in perfectiori gradu quam de facto illam habuit, cum potuisset ejus gratia esse magis intensa: similiter secundum scientiam inditam omnia debuisset cognoscere per unam speciem, quia hæc species non videtur impossibilis, quæ tamen communiter negantur: Sed sic est illi tribuere omnem majorem perfectionem possibilem de potentia ordinaria, quæ est sufficiens ad intrinsecum ornatum ipsius humanitatis, & ad finem Incarnationis, atque accommodata suavi dispositioni divinæ providentiæ: licet autem gratis admittatur posse dari virtutem instrumentariam ad miracula, de se permanentem, tamen hoc non esset secundum potentiam Dei ordinariam, sed absolutam.

51. Respondeo secundò, datà Majori, negando Minorem, nam ut ait D. Thomas 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. impossibile est dari aliquam qualitatem ad faciendum miracula: quod intelligendum est (ut interpretatur Capreolus) de qualitate de se & ex natura sua permanenti, non verò de qualitate vitali & transeunte. Unde ad exemplum quod in contrarium adducitur, dicendum est characterem non esse virtutem instrumentalem completè & in actu secundo, sed incompletè & in actu primo, quatenus per illum Sacerdos constituitur in aptitudine, ut recipiat virtutem instrumentalem, & elevationem à Deo, seu motionem agentis principalis, per quam ministerialiter & instrumentaliter operatur, ut in Tractatu de Sacramentis latius exponemus. Unde character est forma permanens, non quia est virtus instrumentaria, sed quia per illum tanquam per participationem Sacerdotij Christi sanctificantur atque deputantur fideles divino cultui: omnis autem sanctificatio quæ fit per Sacerdotium Christi, est perpetua, re consecrata manente; est enim Sacerdotium Christi æternum, secundum illud Psalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum.*

52. Secunda pars corollarij, quæ asserit virtutem patrandi miracula in Christo, quamvis ex se & natura sua fuerit transiens, per accidens tamen, ob dignitatem subiecti, in eo fuisse ad modum habitus, & permanentem, breviter suadet. Ad perfectionem Christi pertinebat, virtutem factivam miraculorum esse in ejus humanitate perfectissimo modo: Sed perfectius est illam habere

Tom. IV.

permanentem, & ad modum habitus, quàm transeuntem, & per modum dispositionis: Ergo Christus virtutem illam ex se & ex natura sua transeuntem, habuit permanentem & per modum habitus: Sicut supra disputatione 11. articulo 5. dicebamus, quod licet donum prophetiæ detur communiter per modum motionis & coruscationis transeuntis, in Christo tamen, ratione conjunctionis animæ ejus ad Verbum, fuit permanentem, & per modum habitus: unde sicut ob hanc rationem Christus prophetabat, quando volebat, ita poterat efficere miracula, quoties, & quando volebat, semperque ad ea patrandi paratam habebat assistentiam & concursum divinæ omnipotentiae, ut articulo precedenti annotavimus.

Dices, Qualitas quæ secundum se & quoad suam substantiam est transiens, etiam quoad modum debet esse talis, cum modus essendi proportionetur ipsi substantiæ rei: Ergo si virtus patrandi miraculorum in Christo, secundum se & quoad suam substantiam, fuerit transiens, etiam quoad modum & statum debuit esse talis.

Responderetur negando Majorem, non enim repugnat quod aliqua qualitas sit quoad substantiam transiens, & quoad modum permanens: ut enim dicitur in Logica, capite de qualitate, datur qualitas, quæ quoad substantiam est dispositio, seu de facili mobilis à subiecto, & quoad modum est habitus, seu à subiecto difficile mobilis, ut habitus opinionis in hæreticis: sicut è contra datur qualitas, quæ quoad substantiam est habitus, & quoad modum est dispositio, ut scientia quæ est in tyrone. Sicut ergo Theologi docent lumen gloriæ collatum Paulo in rapto per modum transeuntis, fuisse naturam suam permanentem, atque habitum: ita pariter ex adverso nos dicimus, donum miraculorum animæ Christi collatum, quamvis fuerit qualitas naturam suam transiens, in Christo tamen, ob dignitatem subiecti, & ratione conjunctionis animæ ejus ad Verbum, fuisse permanentem, & habuisse modum & statum habitus.

DISPUTATIO XX.

De Impeccabilitate Christi.

Ad quæstionem 15. Divi Thomæ.

Hætenus egit Sanctus Doctor de perfectionibus humanitatis assumptæ, nunc agere incipit de defectibus ejusdem naturæ, & primò de illis quæ ad corpus pertinent, quod facit quæstione decimâ quartâ, deinde de his quæ spectant ad animam, quod præstat quæstione decimâ quintâ. Sed quia circa primum nulla occurrit difficultas hic discutienda, ad secundum progrediemur, & de impeccabilitate animæ Christi sequentibus articulis disseremus.



KKkk ij